Purzyna Ecclesiae Cathedralis Samogitiae Praepositus litteras infrascriptas manu Rmi in Christo Patris D. Ottonis Schenking Epi Vendensis subscriptas et sigillo eiusdem munitas, sanas, salvas, omnique suspicione carentes. Supplicabatque Nobis ut easdem ad acta suscipi et ijs inseri mandare dignaremur; quarum tenor sequitur estque talis.

Sub ipsa Religionis Catholicae in Lutheranam mutationem, Curlandiae seu Piltinensem et alterum Osiliensem Epatum simul tenuit Nobilis quidam Eques Westphalus Joannes a Monninkhausen, qui nova opinione imbutus ad hoc animum intendit, ut vendito Epatu in Germaniam se conferret et uxorem duceret; inventus est mox emptor Fridericus Daniae Rex, qui domi habens fratrem Magnum nomine Holsatiae Ducem moribus discolis, ita imbutum ut dato pretio extra Regnum suum illum dirigere vehementer cuperet, ideoque appensis triginta argenteis hoc patrimonium Christi est appretiatum. Magnus in Livoniam venit, Curlandiae et Osiliae Epatus possessionem et titulum assumpsit, eoque tandiu usus est, quoad ipso Coelibis vitae tedium incesseret. Dum ille in Moschoviam profectus, Antecessoris sui exemplum sequutus, uxorem quoque duxit assumpto (Tyranno Moschoviae annuente) Regis Livoniae titulo; Interim dum ille in Moschovia